

census de quo in *c. 2. de Censib.* nihil aliud est quam signum demonstrativum subjectionis vel matricitatis. Hinc communiter in exigua præstatione consistit, ita ut appareat clare, non fieri compensationem inter jus spirituale et rem pretio æstimabilem. — Quod de juribus spiritualibus, nempe de jurisdictione diximus, applicandum etiam est rebus illis seu juribus quæ spiritualibus annexa sunt. Hinc ex. gr. transactio in jure patronatus non valet si retineatur vel remittatur aliquid temporale et pretio comparabile in relatione ad jus patronatus *c. 10. h. t.*

15. De effectibus transactionis. — Omnes effectus transactionis sub unico effectu tanquam sub proprio principio et fonte continentur, qui effectus est ut finis quæstioni imponatur *c. 1. h. t.* et *L. 20. C. h. t.* Quare si una ex partibus transigentibus quæstionem sopitam iterum excitare conetur, etiam sub prætextu novi instrumenti reperti, repellitur exceptione litis finitæ *c. 1. de Litis contest. in 6. et LL. 17. et 19. C. h. t.* Omnia enim probationum capita quæ pro contententium juribus militabant, per transactionem censentur viribus destitui, ita ut servari debeat solummodo pactorum seu transactionis pagina *c. 1. h. t.*

16. At transactio poteritne rescindi? Porro rescissio transactionis importat, ut res in pristinum restituantur, idest restituantur in eum statum in quo erant ante transactionem. Hinc reviviscunt rationes, jura et instrumenta quæ pro partibus transigentibus militabant ante transactionem, et per transactionem fuerunt viribus expoliata. Hisce positis, quisque videt, posse 1º loco transactionem rescindi et resolvi per mutuam contrariam partium conventionem ex notissima *Reg. 1. Jur. in decr. Greg.* 'omnis res per quascumque causas nascitur, potest dissolvi'. 2º. Rescinditur si fuerit dolo aut fraude inita transactio *LL. 2. et seqq. de dolo malo Cod.* aut metu gravi extorta *c. 13. h. t.* — 3º. Rescinditur si appareat fuisse initam ex falsa causa, et falsis documentis ab alterutra parte bona fide propositis *L. 42. C. h. t.* Res enim incidit in eum statum, a quo incipere non poterat.

Quid vero si una pars non observet ea quæ in transactione spondit? Remittitur arbitrio alterius partis ut, implorato judicis officio, urgeat observantiam transactionis vel, si velit, a transactione resiliat.

17. Quæstio non parvi momenti diversaque cum opinionum varietate agitur ab auctoribus, utrum locus sit rescindendæ trans-

actioni ob læsionem ultra dimidium? Non loquimur de personis, quæ in jure habent privilegium seu remedium extraordinarium restitutionis in integrum, quæ sunt pupillus, minor, Ecclesia. Hisce enim personis conceditur hujusmodi remedium ad rescindendam transactionem ob læsionem gravem *L. 1. C. si advers. transac. et communiter Doctores tenent cum Gloss. in c. 6. de Empt. et Vendit. v. restituerent.* Pariter non loquimur de læsione inducta ex fraude aut ex dolo, sed de transactione læsiva bona fide inita. Uno verbo quærimus: utrum transactioni læsivæ applicari possit dispositio *L. 2. C. de rescind. vendit.* Sciendum enim est ex lege cit. læsionem enormem id operari ut venditor læsus ultra medietatem, qui nempe nec recepit mediam partem justii pretii rei venditæ, possit cogere emptorem, vel ad integrum pretium solvendum, vel ad restituendam rem venditam, rescindendo venditionis contractum. Quærunto ergo DD., an transactio regi debeat eodem jure. Si quæstio esset definienda ex legibus civilibus, forsitan ob legum varietatem suspensa et dubia remaneret; at inspecta quæstione juxta æquitatem canonicam, quæ naturalem æquitatem sequitur, solvenda videtur cum Abbate in *c. 6. de Empt. et Vend. nn. 7. et 8.* et aliis in sensu affirmativo, ut scilicet læsus ultra dimidium possit cogere lædentem vel ad congruam compensationem læsionis vel ad rescindendam transactionem. Agitur enim de contractu oneroso et bilaterali, in quo ferenda non est læsio non solum enormissima, scilicet ultra binas tertias partes justii pretii, sed neque enormis, ultra dimidium. At in computatione læsionis non est considerandum jus transigentis in se inspectum, seu verus valor juris et pretium rei traditæ aut receptæ, sed est inspiciendus valor juris controversi prout erat in quæstione sub dubio et timore incerti exitus litis. Hæc computatio facienda est arbitrio boni viri, omnibus inspectis circumstantiis. At fatemur id admodum in facto difficile esse, ac proinde difficilem esse casum rescindendæ transactionis ex capite læsionis enormis. Ita *Reiffenstuel h. t. n. 59.*

TITULUS XXXVII.

De Postulando.

1. Postulare ex *L. 1. ff. h. t. § 2.* nihil aliud significat quam 'exponere desiderium suum vel amici sui in jure apud eum, qui

jurisdictione præest, vel contradicere alterius desiderio'. Qui vero pro altero postulat dicitur *advocatus*, seu causæ patronus. Differt vero *advocatus* a procuratore 1º. quia *advocatus* regulariter postulat pro præsentem, procurator vero pro absente. 2º. Procurator ex mandato partis post litem contestationem causam facit suam et censetur dominus ejus, quia verum dominum causæ repræsentat, *advocatus* vero solummodo argumenta et jura judici exhibet in tutelam clientis sui. Igitur in sensu tituli *advocatus* ille est, qui licet causam non faciat suam, tamen in judicio, seu in loco ubi solet jus reddi coram iudice suppeditat et explicat rationes sive quoad principia et dispositiones legum, sive quoad circumstantias facti.

2. Quinam *advocati* munus suscipere possunt? — Quæstio hujusmodi potius quam positivam solutionem recipiat, exclusiva methodo tractanda est, et in aliam resolvitur 'quisnam excludatur ab hoc munere suscipiendo'. Edictum enim Prætoris explicatum a jurisconsultis in titulo Digestorum *De postulando* prohibitivum est. A lege civili porro excluduntur præsertim 1º. hæretici non tolerati et infideles *L. ult. C. h. t.* 2º. Infames, qui postulare prohibentur, nisi pro se aut conjunctis personis. 3º. Minores *annis 17 L. 7. ff. § 3. h. t.* 4º. Juris et litterarum imperiti. Porro in moribus communiter introductum est, ut peritia in jurisprudentia pro *advocatis* resultet ex documentis authenticis gradus academicos comprobantibus, et ex peculiari specimine, quod persona desiderans officium *advocati* assumere subire debet. — Ex sacris canonibus excluduntur excommunicati *c. 8. De sentent. Excommunicationis.*

3. Quæritur an Clerici possint munus *advocati* suscipere. Distinguendum est tribunal laicum ab ecclesiastico. In laico foro Clerici in majoribus ordinibus constituti, aut habentes ecclesiasticum beneficium *advocati* munere fungi nequeunt nisi pro se, vel pro ecclesia propria, vel pro personis sibi sanguine non vero affectione conjunctis, vel in causis miserabilium personarum *c. 1. h. t.* Indecorum enim videtur Clericum hujusmodi lucri captandi gratia sese in negotiis sæculi immiscere et coram iudice laico defensoris personam gerere. Cum vero leges prohibentes stricte sint accipiendæ, dicendum est, sub sanctione *cap. 1. h. t.* non comprehendendi Clericos minores qui beneficio ecclesiastico careant. Quemadmodum firmat Glossa. Hi ergo etiam coram iudice laico possunt postulare in causis civilibus, vel criminalibus civiliter actis. Verum clericis

omnibus sive majoribus sive minoribus, sive beneficium ecclesiasticum habeant, sive non, vetitum est, in causa sanguinis pro actore seu accusatore patrocinium gerere, quoties causa criminaliter, id est ad publicam vindictam agitur. Periculum enim est, ne irregularitatem contrahant. Id vero contingeret, si reus mulctaretur pœna capitis vel mutilationis. Quin immo in hisce causis opportunum est, ut neque pro reo patrocinium suscipiant Clerici. Pariter ex sensu contrario capitis sequitur, in foro ecclesiastico posse clericos omnes, exceptis sacerdotibus, postulare sive pro se sive pro aliis sive Clericis sive laicis. Sacerdotes excipiuntur ex *c. 3. h. t.* qui postulare solummodo possunt pro se, pro ecclesia propria, vel necessitate cogente etiam pro conjunctis aut miserabilibus personis. Porro hæc exceptio Sacerdotum in genere facienda etiam quoad forum ecclesiasticum, intentioni capitis innititur. Nam in *c. 3.* non est sermo de foro sæculari quemadmodum in *c. 1.* sed absolute interdicitur sacerdoti susceptio muneris *advocatiæ* et *patrocinii*, nisi in quibusdam casibus, nulla facta mentione fori. Igitur munus hujusmodi per se sacerdoti prohibetur sive tribunal sit laicum sive sit ecclesiasticum.

4. Porro animadvertimus cum *Fagnano Com. in c. 1. h. t. nn. 20. et 21.* in titulo sermonem esse de munere *advocati*, quod postulando impletur, id est de munere, rationes et desideria exponendi et tuendi coram iudice in loco jurisdictionis et in contradictione partium. Quare ex eo quod Clericis et præsertim sacerdotibus interdicitur officium postulandi, non inde sequitur prohiberi etiam eis domi consilium dare petentibus et scriptas conficere allegationes quæ inserviant ad jura protuenda coram tribunalibus. Et quidem in more positum jam est, ut etiam Sacerdotes in Romanis Congregationibus, quæ totidem sunt tribunalia ecclesiastica, admittantur ad causas per scriptas allegationes defendendas. Quin immo ceu adnotat Benedictus XIV. *De Syn. Lib. 13. c. 10.* Sancta Sedes per litteras in forma Brevis Sacerdotibus sæcularibus scientia juris peritis indulget, ut in tribunalibus etiam laicis possint *advocati* munus exercere in causis sive civilibus sive criminalibus, dummodo in criminalibus solummodo defensionem rei peragant; simulque indulget ut proprii laboris præmium possint exigere. Verum hoc indultum sub ea conditione conceditur, ut illud cesset, statim ac ecclesiasticos redditus ad honestam sustentationem habuerint, vel beneficium residentiale fuerint assecuti.

5. Quamvis Clerici aliquando, uti vidimus, possint advocatiæ munus implere, tamen numquam illud exercere possunt pro extraneis personis contra Ecclesiam in qua habent beneficium. Quod si fecerint, tanquam ingrati possunt beneficio exspoliari *c. ult. h. t.* Doctores hanc dispositionem extendunt ad casum, in quo Clericus possideat distincta beneficia in pluribus Ecclesiis et una alteri quæstionem excitet. Excipitur casus quo Clericus in una sit Prælatus; nam prælaturæ obligationes videntur excusare Clericum agentem contra aliam Ecclesiam, in qua habet beneficium. Prælatus enim est defensor natus jurium Ecclesiæ suæ.

6. Quid vero dicendum de Regularibus? Regulares omnes suscipere munus advocati non possunt, nisi sermo sit de utilitate monasterii, et nisi accedat simul licentia proprii superioris *c. 2. h. t.* in quo Pontifex dispositionem canonum *20. et 25. c. 16. q. 1.* quæ erat de monachis, extendit ad Canonicos Regulares. Ob paritatem vero rationis norma hujusmodi a Doctoribus applicatur reliquis regularibus, et praxis eidem normæ constanter adhæsit. Quod si agatur de Fratibus Minoribus videntur ipsi non solum exclusi ab officio advocati suscipiendo, sed etiam non posse personaliter adjuvare advocatos, quando agitur de causis ex quibus commodum temporale ipsis fratribus redundare potest. *Clem. 1. De Verb. signif. § Proinde.* Nam viderentur nimium animo suo adhærere bonis, quibus nuncium dederunt, quæque possidere nequeunt.

7. De Officio Advocati. — Advocati officium duobus continetur; idest advocatus tenetur animadvertere et rite expendere qualitatem causæ defendendæ, nec non animum intendere circa modum defensionis instituendæ. Quoad primum debet advocatus cavere ne causas, quas injustas esse deprehendit, defendendas suscipiat, et vel susceptas prosequatur. Sane advocatus justitiam tueri debet, et non potest tuta conscientia causam scienter ponere damnorum sive suo clienti sive etiam adversæ parti. Unde Lessius *De Just. et Jur. Lib. 2. c. 31. dubit. 8. n. 48.* docet 'Quando (advocatus) tuetur causam, quam advertit esse iniquam, tenetur ad restitutionem omnium damnorum quæ parti obveniunt ratione illius patrocinii, et expensarum factarum et eorum omnium quæ per litem amisit. Tenetur etiam suo clienti, si cum bona fide procedentem non monuit de causæ injustitia. Horum enim omnium est causa, vel committendo vel omittendo contra debitum officii'. — Quare idem auctor in *Dubitat. seq. n. 52.* docet, Advocatum

suscipere non posse patrocinium causæ quæ saltem non sit probabilis.

8. Quoad vero secundum, idest quoad modum defensionis, Advocatus munus suum tenetur implere modeste, vere, ac fideliter. *Modeste*, idest abstinere debet ab injuriis ac conviciis contra adversam partem vel patronum ejus *L. 6. C. h. t. § 1.* — 2º. *Vere*, tenetur videlicet sequi veritatem; nec potest uti theoriis et principiis quæ falsa sunt, et æquitati naturali contraria; nec falsis aut ementitis documentis defensionem roborare. — 3º. *Fideliter* tandem, idest tenetur rationes et argumenta, quæ clienti suo favent, exponere et declarare eo modo quo patefiat et ostendatur eorundem virtus probationis. Ex hoc capite etiam advocatus tenetur silentium servare de secretis clientis sui, nec ea potest parti adversæ aut ejus patrono manifestare.

9. Jus advocati est ut operis sui et laboris conveniens stipendium recipiat. Cavere autem debet ne suum nobile et honorificum officium immodici lucri cupiditate deturpet. Quare in specie tria advocatis a legibus prohibita sunt 1º. Pactum cum cliente de quota litis præstanda in casu victoriæ *L. 53. ff. de Pactis.* — 2º. Emptio, venditio et alii contractus cum cliente durante defensione litis *L. Quisquis vult C. h. t.* — 3º. Redemptio idest emptio alienarum litium, pretio intercedente *L. Per diversas. C. Mandati.* Porro hæc principia Legum Romanarum etiam in practica jurisprudentia canonica recepta sunt.

TITULUS XXXVIII.

De Procuratoribus.

1. Juxta Ulpianum in *L. 1. ff. h. t.* 'Procurator est qui aliena negotia mandato domini administrat'. Procurator est 1º. *qui aliena negotia administrat*; nam nemo est procurator propriorum negotiorum. Ex hac vero qualitate Procurator distinguitur ab Advocato. Nam, præscindendo etiam ab eo quod Procurator esse potest etiam ad negotia extrajudicialia, advocatus non administrat proprie litem, seu non dirigit ea quæ sunt ordinis judicialis, non suppeditat sumptus litis, non facit litem suam, nec excipit sententiam judicis, quemadmodum efficit procurator, qui ad lites constituitur; sed advocatus solummodo suppeditat argumenta tum juris tum facti in favorem clientis proprii.